recudit. At ego alio nunc aveller, et Batavi mei, etiam
hac in urbe, operam suam oblaturi sunt, ex quo de novâ
editione rumusculum accepere. Characteres item et
chartam et Tabellas æneas quot, quales, quantas injunxero.
Solve, sis, nodum Davi; quod si simul et priora illa cum novis
edere animus ferat, censes obstare Autori Privilegium, quod
tertius, ipso non convento, impetraverit? Aliunde sugge-
runt, egregium tibi lucellum ab editione Emblematum
obvenisse. Si verum narrant, quæso nunc ut ne celaveris
amicos faciendi compendii. Fateor Operum talium digni-
tatem nihil non præcipui meruisse. At fallor tamen
aut ista Typographi aviditas ~~[illegible]~~ aliquo etiam mihi cessura
est ~~[illegible]~~, si ~~[illegible]~~ providè despicitur, certeque tu is eris, qui Tironem
utile dulci miscere docueris, quâ re omne punctum ferri
ajunt. Si credis coram ista commodius tractatum iri,
urgeo ego ut ne literarum molestiam detrectes, quia spondeo
circa has tricas ultimam fore. Quid autem si Typographus
ante Comitia vestra incomen adoritur? Adde, quod quo prop-
ius ad nos accedis, rarius te video, quæ tua nunc circa Rempu-
blicam assidua exercitatio est. Itaque dum vacas (si tamen
hoc umquam) amicorum esto, hujus a ~~[illegible]~~ utem imprimis, qui
totus est, et ubique ~~[illegible]~~.

Tuus.

8° Novembris 1623. C. Hugenius

R. Thorio.

Clarissime Thori. (62).

Testabuntur ij maxime, quibus circa rem literariam fami-
liarissime utor, quam quotidianus mihi de Te sermo est:
quam assiduus de probitate item tuâ atque doctrinâ. Cave
mireris tamen vel succenseas, quod tanto mensium inter-
vallo, calamus te iste, nisi per fideicommissum non salu-
taverit: recordare potius, quod cum eâdem in Urbe et vicini
viveremus, obtundere amicos vanis alloquiis non mei moris
erat, eos præcipue, quibus tam juge negotium diem in tot frusta
concidit. Nunc quoque non insolens magis, quam invitus
te compello. In causâ morbus est mi Thori, quo adigente
quantum usquam est opis aut operæ, nihil intentatum relinquo.
Ille autem a Catharro est iterum, non illo quidem, sicut
olim in aurem, sed quod magis fortasse miserum, in ocu-
lum utrumque. Anni sunt, ex quo varia illis fantasmata
aut

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 12v-13r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/209

aut filamenta observari coeperunt, eo magis à me neglecta
quod parum incommodi afferre viderentur. Tandem, postquam
nuper a vobis abii, increbescens mali molestia, Medicis me
tradendam serio admonuit. Itaque ad Purgationes, ad
Clysteres, ad Pilulas, ad Masticatoria ad Vesicatoria, ad Can-
tharides quod attinet, nihil omisimus. Interim ego ille
qui tot cruciatibus morem gero, ne umbram quidem vel
minimi profectus percipio. Postremum, ad Cauterium in
Nucha deventum est. tertia nunc hebdomas abit cum illud
incidimus. eodem successu eàdem spe. Nonne tu Medicos
nunc meos circa caliginem tam pertinacem caligare censes?
Equidem quos illi ~~abstr~~ abstrusioris scientiæ loculos in poste-
rum excutere valeant, ex Fernelio non didici. Nisi
quod primariam mali causam parum assecuti videntur.
Ea, meo judicio frigida cerebri intemperies est, fidem facit
creber in aure tinnitus, pituitæ per nares stillicidium,
capillorum continuus dolor, capitis quoque haud parum
frequens, quamquam inde a cauterio applicato fateor
minimi illo correptum fuisse. Accedit oculorum som-
nolenta quædam gravedo, statim a lectione etiam
paginæ unius vel dimidiæ nonnunquam. Hic spiritu-
um, ab ipso frigore defectum esse non arbitror vestrum quemque
inficias iturum. Habes miseriarum mearum per singula
Historiam. Super eà primum te rogo, ecquid eorum
quæ jam nunc in oculos irrepserunt lævandorum spei reli-
quum censeas. deinde arcendo majori malo, quas porrò ratio-
nes ineundas? Numquid ~~offensuras~~ purgationes profectu-
ras magis judicas, sicut reipsa comperisse videor, cum
postridie a sumptis pilulis, ingravescere ea quam dixi
gravedo ~~coepit~~ Phantasmata autem increbrescere visa
sunt: quam culpam refrigerato iterum cerebro imputare
didici. Tu, qui in his tenebris Lynceus es. et olim quam
prolixè mihi operas tam luculenter testatus es, quæso
Amicissime Thori operam hic tuam ne denegassis.
Habeo te inter Triarios, et nisi quod spem cum remedio attu-
leris, quo denique me vertam nescio. Iaceo tamen
quoniam Ille fecit. cui te omnipotenti, sibi bono ex
animo commendo. Vale vir Doctissime et me ama quitè
præter plurimos. Hagæ. 2. Novembris 1623.

C. Hugenius

Dominis Bronardo atque Casaubono salutem summam
meo nomine dictam cupio, qui vel illis, quantum sublevando mihi
poteritis, libentissime collaturos confido, triumque una consilium
ineatis summopere gratum erit; uti tum ulterius non spargatur fama mali, quo non
aliud dispectius ullum. Scitis Medici, quantum juvenum intersit bona vulgo in
in opinione esse.

~~Dr.~~ D. Heinsio

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fols. 12v-13r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/209